

7. Ploret hunc Europa
Jam decapitata!
Advocatum Roma ploret,
Christum exoret,
Ut sibi fidelem
Praestet seniozem,
Et cognoscat grave damnum
Ecclesiarum.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

8. Dicamus Heinrico
Domini amico,
Ut requiescat post obitum
Semper in aevum.
Dicat omnis clerus
Animae illius:
Pace Christi [re]quiescat,
Gaudia noscat.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

HERIGER.

1. Heriger, urbis *de rimpac*
Maguntiacensis
Antistes, quendam
Vidit prophetam,
Qui ad infernum
Se dixit raptum.
2. Inde cum multas
Referret causas,
Subjunxit, totum
Esse infernum
Accinctum densis
Undique silvis.

3. Heriger illi
 Ridens respondit:
 'Meum subulcum
 Illuc ad pastum
 Volo cum macris
 Mittere porcis.'
4. Vir ait falsus:
 'Fui translatus
 In templum coeli,
 Christumque vidi
 Laetum sedentem
 Et comedentem.'
5. Johannes baptista
 Erat pincerna,
 Atque praeclari
 Pocula vini
 Porrexit cunctis
 Vocalis sanctis.'
6. Heriger ait:
 'Prudenter egit
 Christus Johannem
 Ponens pincernam,
 Quoniam vinum
 Non bibit unquam.'
7. Mendax probaris,
 Cum Petrum dicis
 Illuc magistrum
 Esse cocorum:
 Est quia summi
 Janitor coeli.

3, 1 Herigers

4, 2 Fuit

7. Herigers antwort in bezug auf Petrus zeigt, dafs vor 6 oder 7 eine strophe ausgefallen ist, in welcher der abenteurer den Petrus als meisterkoch des himmels dargestellt hatte.

8. Honore quali
Te deus coeli
Habuit ibi?
Ubi sedisti?
Volo ut narres
Quid manducasses.'
9. Respondit homo:
'Angulo uno
Partem pulmonis
Furabar cocis.
Hoc manducavi
Atque recessi.'
10. Heriger illum
Jussit ad palum
Loris ligari
Scopisque caedi,
Sermone duro
Hunc arguendo:
11. 'Si te ad suum
Invitet pastum
Christus, ut secum
Capias cibum,
Cave, ne furtum
Facias [tetrum.]'

ALVERADAE ASINA.

*Winkern. gelb. des lit.
f. 73.*

1. **E**st unus locus
Homburh dictus,
In quo pascebat
Asinam Alverad,
Viribus fortis
Atque fidelis.